



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xij. De Officio Archidiaconi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

virtutum eius gratiam habere nitantur: quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI,

TITVLVS XIII.

Archidiaconus est à iure constitutus vicarius, & quasi oculus Episcopi, & inter clericos cognoscit, uisitat, & corrigenda emendat, & ardua ad Episcopum deferret, de cuius licentia poterit etiam excommunicare. h. d.

Voniam verò grauis & lata est Pastoralis officij cura, re et cōstitutum est, vt aliqui in Ecclesia sint, qui vnà cum Episcopo onus ferant, & sui Prelati valeant subleuare sollicitudinem. Talis est Archidiaconus^a, qui maior post Episcopū, & eius vicarius reperitur. Cuius vigilatia & solertia vsque ad eò in domo Dei excubare debet, vt oculus Episcopi non immeritò meruerit appellari. Ea propter debet is audire iurgia singulorum, & quæ corrigenda & emendanda viderit, corrigere & emendare. Quòd si qua fuerint ita ardua, quæ per eum cōmodè nō possint terminari, ad Episcopum suum terminanda deferret. Dispiciet quoque vt Primicerius, Sacrista, & Custos iniuncti sibi muneris sollicitudinem diligenter exequatur. Sed & tertio quoq; anno, si Episcopus non poterit, vniuersam Par-

^a cap. 1. & cap. ad hęc nos. exi. co. tit. & per totum. can. 1. uers. Archidiaconus. dist. 25.

rochiam circūire debet, & cuncta, quæ ordinatione vel emendatione indigere viderit, secundum Canonicas sanctiones corripet: & si Episcopi auctoritas accesserit, excommunicationis etiam sententiam feret.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI,

TITVLVS XIII.

Archipresbyter est vicarius Episcopi, circa diuina, & Archipresbyterorum duæ sunt species. h. d.

Non absimiles Archidiaconis Archipresbyteri habentur: nam & ij Prelati sui circa spiritualia curam subleuāt^b. Horum autē duplex est species: alij enim urbani sunt, alij autē exteri. Urbani sunt^c, qui Præsulis sui absentis circa diuina in vrbe vicem sustinent, aut præsentis curam minuunt: vt officium inchoando, celebrando, & benedicendo, & cunctis prouidendo, quæ sacerdotum ministerio perfici debent.

Quæ sit potestas foraneorum Archipresbyterorum. h. d.

Exteri sunt^d, qui circa singulas plebes constituti, nō solum vulgi sollicitudinem gerunt: verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitāt, vitam iugi circumspectione custodire debēt: qui licet suis præsint plebibus, vt Episcopus Matri- ci præsēt Ecclesiæ; nihil tamen con-

^b can. 1. uers. archipresbyter. dist. 25.
^c cap. officium archipresbyteri ext. eod. tit.

^d cap. sui. no. tit.